


Kem 201a (1-14)

Nr.	Jahr	Prüfling, Heimatort	Tehma
		Alle Arbeiten unter Vorsitz von G.D.COSCHWITZ, Halle/S.	
1.	1727	(COSCHWITZ, G.D.)	Theatri anatomici , 1 Abb.
2.	1720	ZETZSCHIUS, CH.G., Altenbg.	Adynamia artis med in morb.
3.	1721	ZANDER, J.G., Spandau	Festinatione sud.med.inf.
4.	1721	BUBBE, J., Gotha	Spad.hippoc.(Seeberger Steinbrecher Krankheit)
5.	1721	BROCKMANN, J.R., Minden/W.	Evacaut sang.in febribus
6.	1722	RÖHL, G., Pyritz, Pomm.	Febribus erraticis
7.	1722	FINGER, CH.S. Sorau	Timor & terror in peste
8.	1722	v.HILDEN, H., Danzig	Morb.cum purp.alba & peripneum.
9.	1724	WAECHTLER, J.S., Görzke b. Magdeburg	Pleuritides verae & peripneumon. differentiis
10.	1724	WAGNER, P.CH., Hof/Oberfr.	Lapidibus judaicis
11.	1724	WAGNER, J.J.	Experientia medica
12.	1725	BALCKE, G.F., Breslau	Empyema spurium
13.	1727	SCHOXEPFFER, CH.G., Halberstadt	Venae sect.post 50 ann in uteroque sexu pr.
14.	1724	WAGNER, P.CH., Hof/Oberfr.	Ductum salivalem nov det., 3 Abb.





7

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**F E B R I B U S
E R R A T I C I S ,**

Quam
PROPI TIO NUMINE DIVINO
ET
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

P R Ä S I D E

DN. GEORG. DANIEL. COSCHWITZ,
MED. DOCT. EJUSDEMQUE IN ALMA FRIDERICIANA
PROFESSOR. PUBL. ORDIN. ET POTENTISSIMI PORUSSOR.
REGIS IN COMITATU MANSFELD. ET APUD
PALATINOS HALENS. PHYSICO MERITISSIMO,


PATRONO AC PROMOTORE SUMMOPERE COLENDO
PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis,
More Majorum solenni obtinendis

Horis Lecoque consuetis. Anno M DCC XXII. D. *Mirt.*
Placidæ Eruditorum Disquisitioni submitteret

GEORGIUS RÖHL,
PYRITZ - POMERANUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis GEORGII JACOBI LEHMANNI, Acad. Typogr.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.
DE
FEBRIBUS ERRATICIS.

PROOEMIUM.

Dedocte Doctissimus Ba-
glivus in tractatione de Febribus
loquitur sequentibus verbis:
In Acutis circa duo potissimum,,
peccant Medici, vel in nimia at,,
que tumultuaria remediorum,,
farragine, vel potius in intempestivo, & ame-,,
thodo corundem usu: unde tot incommoda in,,
ægris, & tam variæ atque inconstantes morbo,,
rum periodi, & incredibiles ad invicem permu-,,
tationes; quas quidem rudes Medicinaturæ mor-,,
bi, non vero inconstantibus suis, ac speculativis,,
medendi methodis attribuunt. Aurea sane ver-,,
ba,

ba, quæ ut omnium Medicorum animis insculpta
 eslent, merito optamus. Non enim solæ sunt Fe-
 bres acutæ, de quibus hæc dici merentur, sed de
 quocunque fere morbo in praxi medica obvio i-
 dem judicium ferre auferim: quid enim solenni-
 us est; quam quod plurimi morborum tumultu-
 aria nimiaque remediorum farragine turbentur,
 sive illa a Medicis offerantur, sive ab ipsis ægris in-
 tempestive consilio proprio assumantur, ut post-
 modum varias metamorphoses subeant, & plane
 alii ac novi videantur, cum tamen priores sint, & alia
 saltem veste induti incedant, a typo cui alias adse-
 scunt plane delabantur, & non raro medicos impe-
 ritos fallant, mireque eludant. Accidit hoc tam in
 morbis acutis, quam chronicis, licet his familiarius
 sit quam illis, propter diurnam durationem, quæ
 sæpe ægros impatientes eo cogit, ut citius se a
 morbis deliberatur, varia remedia quærant, aut me-
 dicum minus constantem ad varia consilia atque
 tentamina deducant. Cum autem ex omnibus qui
 occurruunt morbis, certumque typum servantibus
 Febres maxime sint, in quibus typicus & periodicus
 decursus manifesto observatur, hæc etiam sunt, quæ
 magis manifeste errorem commissum, sive in regi-
 mine, sive in medicatione id factum fuerit, testantur:
 unde apud Authores earum quæ typum deserue-
 runt,

* (5) *

runt, mentio aliquando fit, quibus ordinarie Erronearum, Errantium, aut Erraticarum nomen tribuere solent. Hæ quoque Febres, ERRATICÆ nempe nobis impræsentiarum materiam pro elaborando atque edendo INAVGVRALI SPECIMINE suppeditabunt, cum certo speremus, hanc materiam pro adjuvanda Praxi medica neque inutilem, neque Lectori ingratam fore: modo optamus atque precamur, ut SVMVM NVMEN nostris laboribus ac meditationibus adsit, iisque ex alto benedicat, ut ex fonte ipsius misericordiæ in genus humanum miserum rivuli benignitatis profluant; in multorum ægrorum solamen atque levamen.

§. L

DE FEBRIBVS ERRATICIS quoniam verba sunt facienda, negotiï ratio postulat, ut omnium primo mentem explicemus, quid per febres erraticas intelligamus. Sunt nobis illæ, quas Hippocrates πλάνη vocat, quam vocem Græci derivare sciunt a πλάνη error, vel à verbo πλανάω, aut πλανῶσαι, quorum illud per fallere aut seducere, hoc autem per errare interpretantur. Unde patet, nomen harum febrium idem sibi velle, quasi vel ipsæ in suo decursu errent, vel alios, & quidem praecipue medicos, errare faciant, fallant, atque seducant: ubi sensu priore apparet, hasce febres a typo alias consveto aberrare & declinare, ideoque ἀταξία & confusione laborare; idemque significare quod alii Febrium anomalarum titulo insignire solent: quin verosimile videatur, Hippocratem allegata appellatione ad inconstantem illarum motum, quo nulla præcita tempora

A 3

ser-

servant, respexisse, quasi ad Planetarum exemplum inconstantes essent, ideoque non sine iure Vagæ quoque dici possint.

§. II.

His, quæ denominationem spectant, præmissis, ad proximorem harum febrium descriptionem transimus, earumque historiam adornamus; quem in finem ex generali febrium historia paucis repetimus, varias in usu esse febrium differentias & distinctiones: quippe notum est, illas dispesci in acutas, & chronicas: continuas, continentes, & intermittertes: malignas et benignas: simplices, et compositas, nec non duplicitas: & quamvis hæ omnes differentiae, sicut adhuc plures aliae, utilitate sua non careant, tamen non minorem usum fructumque in medicina habet illa, qua dispescuntur in periodicas typicas, & vagas, vel quod nobis idem videtur, erraticas. Quemadmodum autem opposita ex oppositis facile dignoscantur, ita ratione denominationis periodicarum febrium sciendum est, quod omnes et singulæ febrium species essentialiter ordinarie certæ alicui periodo, certoque typo ita ad strictæ sint, ut singulam, ex singulis periodis, typique invasionum & remissionum paroxysmorum, sub primis initiis atque paroxysmis, febrem dignoscere facile valeant experti practici: quod ut clarius reddamus, exemplisque illustremus, eoque ipso tanto faciliorem nobis paremus viam ad erraticas, scopo haud contrariabitur, si summa quasi capita febrium pervolvamus, earumque ordinem, typum, atque periodum perpendamus; quo postea tanto felicius de Erraticis judicium ferre valeamus.

§. III.

A Continuis itaque ac Acutis initium faciendo, notum est inter medicos, has in genere breviori periodo totius decursus absolvri, & uno aut altero dierum septenariorum termino circumscribi atque terminari: deinde ratione typi quem servant, pariter sciunt practici, quod continuitatem paroxysmorum pro signo pathognomico & essentiali symptomate habe-

anc,

ant; nullamque paroxysmorum intermissionem forment, quamvis remissionem illorum, & quidem pro diversitate speciei febris, magis aut minus notabilem atque durabilem patiuntur. Respectu invasionis & remissionis autem paroxysmorum, quippe quæ proprie typum declarant, in vulgum usque notissimum est, alias harum febrium circa et versus noctem aut vesperam, alias autem post medium noctem exacerbari, atque illarum paroxysmos ordinarie circa diluculum remittere, harum vero paroxysmos usque ad vesperam protracti: ita ut vel tota nox, vel ad minimum magna ipsius pars sub paroxysmi duratione consumatur; unde vulgi observatio ortum traxit, quando dicit: Die Nächte sind bey den Kranken am schwerlichsten. Paroxysmo remittente sudoris aut madoris contingit eruptio; æ gri paululum ad se redeunt, æstus ac sitis, nec non capitis dolores, aut anxietates fiant remissiores, quamvis ad orthostadiam non perueniant æ gri, neque pulsus naturalem ordinem iterum servet, sed utique de continuante sanguinis motu inordinato, aut potius extraordinario testetur: quo ipso ab intermittentibus sese distingvunt.

§. IV.

Intermittentes omnes generaliter in eo typum quo reguntur monstrant, quod certa tempora non modo dierum, sed horarum servent, quibus paroxysmus febrilis per vicissitudines frigoris æstusque febrilis initia capit, quibus durat, quibus etiam terminatur, libero manente reliquo tempore vel horarum, vel dierum, ut æ gri tempore illo intercalari ad orthostadiam iterum redeant, suisque negotiis aliqualiter præesse possint. Cum autem variae illarum occurrant species, singularum typus paucis erit perlustrandus. QVOTIDIANA itaque, quo magis legitima existit, non modo singulis viginti quatuor horis, i. e. quotidie semel recurrit, sed certas fatisque præcisas horas servat, quo respectu ordinarie hora sexta, septima, vel octava circiter matutina ægros invadere, dictumque tempus ita seruare solet, ut vix dimidium horæ aliquando intercedat, quo anticipando aut post ponendo

do novos formet paroxysmos. Frigus & horror valide satis ægros afficit, nec non satis diu ad horæ spatium ad minimum continuatur; quibus cedentibus communiter vegeta excretio, vel per Vomitum, vel per diarrhoeam, vel per viam utramque, succedere solet, ut plurimum cum rejectione materie biliosæ, quæ omnia tunc deminutæ satis validus quidem, non tamen nimium diurnus excipit, cum cephalalgia, siti, & inquietudine, ordinarie vix ultra sex, septem, aut octo horas durans; sed tunc temporis per sudoris eruptionem definens: ubi præterea notandum, quod hæc febris præ reliquis omnibus intermittentibus breviore decursu atque periodo in universum absoluatur, & quidem hoc tanto certius, quanto vegetius supra nominatae excretiones, sub primis, aut omnibus paroxysmis successerunt.

§. V.

TERTIANA simplex atque legitima speciei competentem typum ita seruat, ut alternis saltem diebus in genere recurrat, libero manente uno intercalari: in vadit autem ordinarie ægros versus meridiem, hora circiter inter nonam & duodecimam, aut ad minimum circa tempus ientandi & prandendi, cum tractione dorsi lumborumque tensiva, frigore & corporis succussatione ordinarie majore, quam in quotidiana esse solet; sub quo horrore communiter cooritur fastidium et nausea, quæ sub frigoris calorisque permutatione facile in actualem vomitum transeunt ac desinunt, præcipue sub primis paroxysmis, et quidem tanto certius ac promptius, quo major cum succussatione adfuit horror. Quodsi vero frigus quidem validum intensumque, citra tamen magnam succussationem corporis fuerit, communius diarrhoea succedit, id quod præcipue ætati provectioni solenne esse solet. His ita prægressis frigus febrile, quod ægrum hactenus infestaverat, transit in æstum plane oppositum sub quo adspicetus hucusque macilentus, contractus, pallidus mutatur in turgidulum, rubicundum atque coloratum, vasa hactenus compressa atque magis delitescentia turgescunt, & sanguine

tu-

tument, pulsus fit celerior atque frequentior, & tensoriae iliae tractiones in sensationem molestam quasi oppletivam transiunt, præcipue si subjecta plethorica fuerint: sub quo rerum statu symptomata essentialia & ad morbum pertinentia, inquietudo, capitis dolor, sitis, oris siccitas, & aliquando amarities, fauciumque molestus singularis sensus, quasi a fervido cibo ambustæ fuerint, (als wann die Zunge und Gaumen verbrühet wären) accedunt, seque manifestant. Hæc omnia simulac æstus febrilis satis diu, & quidem diutius quam sub quotidiana durat, quamvis totus æstus febrilis decursus ad summum duodecim horas excedere non debeat, sed sub sudoris proruptione terminum suum attingere, nisi tertianæ spuriæ, aliquid continui atque acuti secum ferentis, & foventis, titulum mereri velit; aut circumstantiæ plane individuales, a statu excessivo plethorico, aut spissitudine sanguinis cum plethora conjuncta peténdæ, occasionem ejusmodi declinationi ab ordinaria via præbuerint.

§. VI.

QVARTANA denominationem habet a typo quem recursu suo servat, duos semper formando dies intercalares, ita ut a primo paroxysmi die numerando, in quartum novus semper paroxysmus cadat: præter hunc generalem autem revertendi ordinem specialiter tempus ipsius proprium esse solet pomeridianum, unde, quo magis legitima existit, paroxysmi hora secunda, tertia, aut quarta circiter eveniunt. Non ita familiaris huic febri est notabilis horror, aut membrorum succussatio, nisi specialiter juniora, aut vegetationæ fuerint subjecta, sed frigus ac gelu, sub concursu tensivarum pressoria rumque in hypochondriis molestiarum & anxietatum, nec non extremonum artuum lassitudinis, torporis, atque languoris gravativi tanto contumacius diutiusque præ reliquis intermittentibus, ad duas circiter pluresve horas continuat, atque in eo a præcedentibus notabiliter differt, quod minus proclivis fit ad actuales evacuationes, sive vomitorias, sive catharticas, nedum diapnoicas, quin potius ut plurimum al-

vi positivas obstipationes & adstrictiones familiares habeat. Calor qui tandem succedit febrilis, lento satis gradu incedit, neque tam vehemens evadit quam reliquarum intermittentium æstus, nisi forsan vel excessiva plethora, quæ juniori æstati magis solennis existit, vel intempestiva sanguinis commotio a diætæ erroribus prægressis, aut calidiorum remediorum versus paroxysmum, vel sub eodem propinatorum abusu oriunda, eundem exacerbaverit. Licet autem ordinarie satis lenis, in comparatione ad reliquas febres sit æstus, nihilo minus tamen satis molestus existit, quoniam contra reliquarum intermittentium morem magis siccus existit, & vix ullum madorem, multominus sudorem conjunctum habet; quæ tamen molestia aliquatenus sublevatur, eo quod duratio æstus raro quatuor aut sex horas excedere soleat, neque capitis dolores adeo vehementes aut sitis intensa, adsint.

§. VII.

Hæc de febribus simplicioribus, tam continuis, quam intermittentibus, earumque typo in genere sufficient: ne tamen reliquæ recensitum ordinem haud stricte servantes statim pro Erraticis declararentur aut habeantur, necesse est, ut partim de compositis, partim de duplicatis, earumque typo ordinario necessaria adjiciamus. COMPOSITÆ FEBRES illæ dicuntur, quæ ratione periodi ac typi e continuis & intermittentibus compositæ quasi adparent, ut quis dubius hæretere possit, ad quam illas referre debeat classem: ita ut quis febre laboret, cuius continuitas ex eo satis quidem patet, ut post paroxysmi remissionem æger ad orthostadiam non perveniat, sed lecto adfixus detineatur, interim tamen remissio ipsa, vel continuarum remissioni similis, vel maior, aut diuturnior sit, quam illa, quæ continuis simplicibus familiaris esse solet: quæ tamen ad intermittentium classem ex eo inclinare videtur, quod singulæ paroxysmorum invasiones aliquali frigore intercedente statis horis incipient, contra morem continuarum, quippe quæ, quamquam remittant, novosque accessus paroxysmorum forment, tamen sine interveniente frigore, perso-

lam

lam æstus exacerbationem recurrent. Posito ita generali febrium compositarum criterio, facile erit de singulis illarum speciebus judicium ferre, easque dignoscere, ac intelligere quam ob causam aliæ Quotidianæ, aliæ Tertianæ, & rursus aliæ Quartanæ continua salutentur. Quotidiana enim continua dicitur composita talis febris, si exacerbatio nova paroxysmorum, interveniente frigore, singulis diebus, vel intra viginti & quatuor horas semel contingit, & tanto magis hunc titulum meretur, quanto proprius horis invasionis ad horas quotidianæ intermittenti solennes accedit. Tertiana continua audit, quando semel inchoato paroxysmo, hic perpetuo decursu, licet intercedente remissiore ipsius gradu continua, donec alternis semper diebus ad modum tertianarum frigus novum interveniens novi paroxysmi accessum indigit. Ad eundem modum Quartana continua dici meretur, quæ typo quartanario insultus suos format, atque continuatatem paroxysmi supracitato modo per duos protrahit dies, ut manentibus quasi duobus intercalaribus, quarto demum frigus novum accedens, novam paroxysmi exacerbationem indicet: quæ tamen inter reliquas rarius in praxi medica occurrit. Notandum tamen de cetero ratione omnium harum febrium, quod frigus illis solenne ordinarie tantum non attingat gradum, qualis simplicibus intermittentibus, quarum typum participant, familiaris esse sivevit, cum semper maximam partem ad continuas pertineant, atque præcipuum ab illis typum possideant: unde communiter etiam, nisi a recta deflectant via, ad normam continuarum terminantur, suumque decursum generaliter absolvunt.

S. VIII.

Duplicatas quod attinet febres, hæ ex paroxysmorum frequentiore quam par est recursu dignoscuntur. Sic quotidianam duplicum salutamus talem intermittentem febrem, quæ duobus separatis atque distinctis paroxysmis, quoad essentialia veris, intra nycthemerum ægros invadendo recurrit, ita ut tempore intercalari, quantum quantum illud etiam sit,

paroxysmus totaliter cesseret, pulsusque ad naturalem statum redeat, quamvis aliquando pro virium debita recuperatione sufficiens tempus deficit: quod ut paulo clarius evadat, ponamus talē casum, haud ita raro in praxi medica occurrentem; ubi æger aliquis summo mane, hora circiter Sexta, septima, octava, corripitur paroxysmo febrili perfecto atque completo, ut frigus & æstus se invicem excipiant; qui spatio quatuor aut quinque horarum penitus absolvitur, ut æger præter lassitudinem de paroxysmo febrili nihil percipiat; & a meridie nihil conqueratur, donec ex inopinato quasi, novus paroxysmus, quem forsan sequenti mane expectaverat, circa vesperam ejusdem diei sub iisdem essentialibus symptomatibus, hora circiter quinta, sexta, septima, revertatur, & iterum aliquot horarum spatio absolvatur, quo facto iterum aliquot horæ intercalares succedunt, sequentes autem die plane eadem denuo contingunt: talis inquam quando occurrit febris, nomen quotidiane duplicitis reportat, quamvis non semper necessarium sit, ut singuli paroxysmi respectu durationis & gradus sibi accurate respondeant, sed unus semper præ altero brevior leviorque esse possit.

§. IX.

Tertiana duplex, cum singulis diebus ægros invadat, facile confunditur cum quotidiana simplici, quod ut in praxi evitetur, notandum est, studiose nos in superioribus monuisse, quotidiane simplici præcisa & exquisita fatis recurrendi tempora, præ reliquis intermittentibus, familiaria atque solennia esse. Si itaque febris occurrat, quotidiani paroxysmis recurrentes, ægrosque quotidie infestans; ad stata singulorum paroxysmorum tempora erit respiciendum, quæ, si dicto modo præcise in horas illas matutinas constanter incident, sine dubio quotidianam simplicem declarabunt: si autem singulorum paroxysmorum tempora inter se differant, alterna autem sibi respondeant, (ita ut v. g. primus paroxysmus ante meridiem hora circiter nona, vel intra hanc & duodecimam, tanquam tertianæ legitimæ dicatas, secundus sequente die post meridi-

em

em hora secunda, tertia, quarta, tertius iterum matutinis modo citatis, quartus vero iisdem pomeridianis horis invadat atque revertatur) tertianam duplēm, & quidem, quo magis statā illa tempora servat, legitimam indicabunt. Quartanā duplex facile cognoscitur, si duobus proximis diebus, tempore quartanæ consveto pomeridianō, paroxysmi se invicem seqvuntur, tertius autem semper intercalaris titulum tuetur Hæ duplētæ febres, quamdiu dictos terminos servant, ad intermittentium classem pertinent, quoniam semper omnimoda paroxysmorū intermisso intercedit, antequam novus insultus revertatur. Non tamen semper & omni tempore tales existunt, sed aliquando duplices cum compositis conjunguntur: id quod adparet ex continuitate febrilium paroxysmorū, eorumque aliquali remissione, & recursu exacerbationis novarum secundum modo citatum duplēcium febrile typum; quo respectu his febris triplicem quasi ordinem servantibus, tripartitum quoque nōmen imponitur, eæque sub titulo Febris Quotidianæ, Tertianæ, aut Quartanæ duplicitis continuæ innotescunt.

§. X.

Perlustrato sic typo febrilem legitimarum secundum summa capita consideratarum, haud difficile erit negotium ERRATICARVM expositio. Sunt enim ejusmodi febres, quæ quidem ex aliqua parte ad unam dictarum febrilem classem pertinere videntur, nullatenus tamen in totum cum illis convenient, sed ab essentiali typo, tam respectu paroxysmorū recurrentium, quam ratione symptomatum essentialium, aut accidentialium, valde deflectunt, ut nequaquam pro tali, quam mentiuantur febrem, haberi possint. Unde recte Etī mullerus in operibus practicis, Cap: de Intermittentiis dicit: Dantur præier febres periodicas etiam quæ nullam periodum servant, & tales sunt Erraticæ vel Vaga, quæ Hippocrati Planetæ audiunt: Erraticæ sunt, quæ quidem aliquam periodum habent, sed ita, ut videantur non habere. Sic v. g. hodie invadit hora duodecima, perendie sexta matutina, rursus perendie

hora decima. &c. in quibus verbis tamen citatus Author partim magis ad Tertianam in specie, partim ad solum paroxysmorum typum eorumque recursum respicere videtur: cum tamen nobis verosimilius videatur, quod etiam respectus symptomatum sit habendus, & ex utroque fundamento criterium Erraticarum sit petendum, quam ob causam cum Spohnio sentimus, qui in verba Hippocratis: *Inconstantes & Erraticas febres curare non expedit donec constituerint*: ita commentatur. *Inconstantes febres eae sunt, in quibus nihil constans quietumque existit*: Urinæ mane tenues, post meridiem crassæ, sub vesperam alio modo se habentes: paroxysmi modo plures, modo pauciores, nulla statim hora recurrentes: omniaque morbi phænomena a se ipsis semper dissidentia. His etiam adspiculatur Dn. Læw ab Erlsfeldt in Comment: ad Aph XXII. sect. III. dicens: *Dicuntur autem febres erraticæ, quæ certum typum, ordinatam periodum, & eundem invasionis modum non servant, sed modo diebus singulis, sed diversis horis, modo alternis, modo interrupiis adoriantur, & ægros affligunt, aliquando noctu ingravescunt, quandoque interdiu, nonnunquam cum rigore aut horrore, aliquando sine illo, modo his, modo aliis symptomatibus stipatae*. Imo Hippocrates ipse idem adnuit Lib. II. Dej Morbis Popularibus, vel Epidem: quando Cleannætidis febrem erroneam ita describit. *Dolebat autem caput ab initio, & latus sinistrum & aliarum partium dolores aderant, lassatorum modo: febres exacerbabantur alias aliter inordinate. Sudores quandoque, quandoque non. Exacerbationes ut plurimum in diebus judicatoriis magis accedebant. Circa vigesimam quartam summas manus dolebat. Vomuit biliofa, flava, satis multa: paulo post autem æruginosa. Ab omnibus allevatus est. Circa trigesimam sanguis ex urisque naribus erumpere cœpit, atque hoc erroneo modo paulatim usque ad judgementem. Non autem fastidiebat cibum, nec siiculofus erat per totum tempus, neque insomnis. Urinæ tenues non decolores. Circa quadragesimum minxit subrubra, subsidentiam multam valde rubram habentia: allevatus est: post hæc autem Urinæ variae, quandoque sub-*

subsidentiam habebant, quandoque non. Sexagesima Urinis subsidentia multa alba, & levis: remiserunt omnia: febres intermittebant: Urina rursus tenues quidem, verum boni coloris. Septuagesima a febre liber permanit diebus decem. Octogesima riguit, febris acuta corripuit: multum sudavit. Urinis subsidentia rubra, levis, perfecte judicatus est.

S. XI.

Quæ dicta satis testantur, Hippocratem fere magis ad symptomata erroneo modo variantia respexisse, vel ad minimum ex utroque fundamento supra a nobis citato declaratio-
nem febris erraticæ petiisse. Interim nostra sententia ea non
est, quod febris respectu typi paroxysmorum erronee ince-
dens, manentibus ordinariis symptomatibus, pro erratica pla-
ne non sit habendi; sed saltē indigitare volumus; ex sym-
ptomatum erratico accessu cum typo erratico conspirante,
tanto certiora harum febrium signa diagnostica desumi, cum
præcipue ab Experientia edociti simus, rarius ejusmodi oc-
currere febres erraticas, quarum typus & symptomata non
simil de erratica ipsarum conditione testarentur. Hisce præ-
missis proximum erit ut perquiramus; An febres erraticæ ge-
nus aliquod specificum constituant a reliquis omnibus distin-
ctum: an vero ad unum aut alterum febrium genus; an po-
tius ad omnia referri possint ac debeant? Nos ultimæ adhæ-
remus sententiæ, dicendo, quod Febres erraticæ tam de
Continuarum & acutarum, quam de Chronicarum & Inter-
mittentium, nec non de Compositarum, & Duplicatarum
genere esse possint, atque occurrant; nullatenus autem ad
solas Intermittentes, (quarum quidem paroxysmi maxime
in sensus incidentes luculentiora illarum criteria præbent)
referri debeant, id quod ab Etmullero loco cit: si non explicite
implicite tamen factum videtur. Consentit nobis enī hac in
re Laur: Bellinus Tr. de febribus p. 213. quando disserit: *Vagæ
aut Erraticæ febres, ex ipsa appellatione, patet, esse posse tam
continuas, quam intermittentes, adeoque etiam malignas, ac
pestilentes, quæ nullum certum ordinem accessionum, finium,*
cir-

circuituum, nullam certam febris formam servant, sed sepius, rarius, per plures dies, paucioresve, per horas etiam in vadunt, desinunt modo cum calore, modo cum frigore, & hujusmodi perturbatis, & ordinem minime servantibus affectionibus conjunctæ.

§. XII.

Rem ut aliquo modo clariorem reddamus, placet eandem quadantenus per exempla ex ipsa praxi desumpta illustrare. Continua febris erratica est, & dicitur, quando equidem ratione continuitatis nullus in ipsa error observatur, & ab una exacerbatione ad alteram usque nulla intermissio, nulla orthostadia occurrit, sed remissio saltem aestus febrilis sentitur: dictæ autem exacerbationes novæ neque cum typo simplicium, neque cum illo qui compositis familiaris est, convenient, sed modo semel de die, modo pluries, mox hac, mox illa, & iterum alia hora, modo' interdiu, modo sub noctem revertuntur, neque eundem plane quem uno die servarunt ordinem, altero aut sequentibus diebus observant, sed uno die paucioribus, altero pluribus numero vici studi- nibus variant: aut modo cum, modo sine intercedente refrigerio invadunt, ut ita medicus incertus maneat hæreatque, quibus temporibus exquisite remedia alias convenientia debita methodo adplicare debeat. Ubi simul contingit, ut eva- cuationes solenniores præcipue diaphoretica & diuretica, vel emaneant, vel e contrario excedant, & ita vel anxieties augeant, vel colliquationes, viriumque prostrationem insolitam inducant: aut loco illarum eyacuationum omnibus febris essentialiter competentium atque solenniorum, plane aliæ succedant, quo intuitu a sudore suppresso aliquando Diarrhoeæ proveniunt, multum laboris facientes, novamque subinde occasionem febris turbationi suppeditantes. Si ad certam continuarum speciem animum dirigamus, circa exan- thematicas erratica illarum indoles præcipue appetet, ratione temporis eruptionis ex anthematum, quando nempe illa non criticis, statim ac semper consuetis temporibus atquo diebus, sed

sed vel citius, vel tardius prorumpunt, aut citra causas exter-
nas occasionales notabiles, mox prorumpunt, mox iterum
disparent, & sua inconstancia varia graviora symptomata pro-
ducunt.

§. XIII.

Intermittentes erraticæ febres tanto facilius agnoscun-
tar, quanto magis illarum periodicarum typus in sensus in-
currit, & per frigoris æstusque vicissitudines statim plane tem-
poribus recurrentes manifesto observari potest. Tertiana
itaque erratica quoad typum paroxysmorum dicenda est, non
illa, quæ statim certisque horis, vel constanter anticipando,
vel constanter postponendo, tempus invasionum mutat, sed
illa hanc titulum meretur, quæ plane inconstanter, mox an-
ticipando, mox postponendo, neque hoc certis quibusdam,
sed plane irregularibus horis, ægros invadit, quemadmodum
talis ipsius conditio rectissime ab Ettmullero in supra citatis
verbis depicta fuit. Quotidiana e contrario, quamvis quo-
tidie quidem recurrat, nihilominus tamen nullum certum re-
currendi tempus, nullamque certam horam observabit, con-
tra morem ipsi si periodica fuerit alias consuetum, sed vagis
inordinatisque insultibus, modo mane, modo vesperi, modo
versus, modo post meridiem ægros invadet. Nec aliquid in-
solitum esse solet hisce duabus febribus, si semel erraticæ fa-
ctæ fuerint, quod illa aliquando quartanarios, hæc vero ter-
tianarios paroxysmos formet, mox tamen post unum alte-
rumve paroxysmum ita mutatum, pristinam seriem repetant:
sicuti tertianæ illi erraticæ facillime contingit, ut in Quarta-
nam transmigret. Præter erraticum illud tempus invadendi
autem haud raro simul symptomata febrilia simili modo se ha-
bent; unde non deficiunt casus, ubi ea quoque quæ ad esse
febris intermittentis pertinent varie inter se permuntantur, ut
v. g. paroxysmus febrilis æstu incipiat, æstumque prægressum
demum frigus sequatur, aut frigore, licet gradu diverso, fe-
brilis paroxysmus & incipiatur, & finiatur. Sub quibus pla-
ne inordinatis & inconsuetis mutationibus non potest non

C

con-

contingere, ut solenniores exertiones, post motum febrilem necessariae, præcipue sudore, aut diuresi expedienda, suppri- mantur, cohibeantur, impeditantur, unde postmodum facil- limo negotio tumores oëdematosi pedum ortum ducunt. Ra- tione alvinarum autem excretionum, pro diversitate subje- torum respectu temperamenti, modo defectus, modo excessus, observatur. Quartanam erraticam quod attinet, de illa eadem plane dici merentur ratione typi paroxysmorum, quæ generatim de antecedentibus dicta fuerunt, quod nempe, quamquam legitimis diebus recurrat, tamen respectu hora- rum diversos formet saltus, licet rario sit præ reliquis, nec non, quod aliquando respectu dierum intercalarium itidem ejusmodi variationes subeat, ut neque pro quartana simplici legitima & periodica, neque pro duplice haberi posse: cuius rei exemplum & testimonium præbet observatio IV. Cent. V. Ephem. Nat. Curios. sub. titulo Febris quartanæ inversæ; ubi paroxysmi non modo ad exemplum quartanæ duplicitis duobus proximis diebus sese excipiebant, sed tertio quoque die recurrebat idem insultus, intercalari manente illo, qui proprie paroxysmi dies esse debebat, sive simplex sive duplex fuisset quartana periodica atque legitima. Mentionem quo- que faciunt Scriptores & riariorum observationum collec- tores, Febris quintanæ, sextanæ, octanæ, easque tanquam singulas febrium species commemorant, de quibus tamen, si historiæ probe attendantur, ratio syadet, easdem ad erraticas esse referendas: quemadmodum id ex unica observatione LXXVII. Anni IX. Dec. I. Ephem. Nat. Curios. De febre quintana duplice, sufficienter appetit, cuius singuli paroxysmi alternis quidem diebus, sed plane diversis horis, diversoque gradu tam frigoris, quam caloris febrilis, revertebantur, unde illam merito Tertianæ erraticæ fuisse adnumerandam, cen- semus.

§. XIV.

Ex hisce, quæ ad exemplum de Continuis, et Intermit- tentibus erraticis pro fundamento allata sunt, facile erit indo- lem

iem Compositarum atque duplichum perspicere. Si enim ea attenduntur, quæ de utrarumque typo ordinario, quo a se invicem distingvuntur, in superioribus paragraphis ex abundantia proposita sunt, facile quisque errorem & typi, & symptomatum inveniet, quem quidem declarandum atque exemplis practicis illustrandum facile suscipere possemus, nisi hac vice brevitatem studiose intenderemus, spemque soveremus, fore, ut alio forsan tempore magis ex professo, de illis differendi occasio suppeditetur. Unde nunc ex instituti ratione ad dictarum febrium Pathologiam, causarumque enucleationem nos accingimus, eamque quatenus historiæ practicæ respondet, subjugemus.

§. XV.

Quod ut debite fiat, in antecessum monemus, ex ipsa observatione practica solerti patere, has febres erraticas vel statim ab initio tales esse, & tunc quasi epidemicæ indolis existere, ita ut ægri incomparatione ad alia tempora, sat multi eodem tempore, iisdem in locis talibus erraticis laborent: vel ex antecedentibus legitimis periodicis demum in erraticas degenerare, hasque ex illis fieri, & tunc quidem illas ad sporadicas magis referendas esse. Hippocratem si de origine harum febrium consulamus, Aph. Sect. III. aph. 22, illas ad numerat morbis autumnalibus; videbimus itaque, an & quomodo autumnus aliquid ad erraticarum febrium genesisin contribuere valeat. Notum est autumnum æstatis pedissequam esse, eamque proxime sequi, æstatem vero ordinarie, tempestate calida & sicciora sanguinem atque humores magis commovere atque expandere, sub quo motu partim intestino, partim ad partes solidas attritorio, & per illas transpressorio, massa humorum resolvitur, attenuatur, & sub sudoris madorisque forma, per cutaneos poros tunc temporis maxime patulos excernitur & imminuitur, simul quoque partibus sulphureis agilibus subtilibus notabiliter privatur, eoque ipso tanto facilius ad lentorem, spissescientiam, muciditatem disponitur, sub qua successive insurgente discrasia, partes heterogeneæ, mixtioni corpo-

ris animalis adversæ atque contrarie, in corpore generantur et augentur, quo haud parum faciunt varia sub æstate ingesta e fructibus horæis aliisque. Accedente tunc & superveniente autumno, tota tempestas notabilem subit mutationem, quam sëpe satis repentinam, e calida in frigidam; non tamen constantem, sed variabilem atque inæqualem: omnibus enim constat, autumnales dies mane ac vesperi frigidiores, circa meridiem autem calidiores esse, quo intuitu corpus quoque nostrum varie alteratur, & ab aëre ambiente afficitur, ut tempore meridiano pori recludantur, humoresque commoveantur, & ad excretiones periphericas disponantur, id quod etiam fit tempore nocturno, sub somno, ubi corpus in lecto et stragulis calet, turget, relaxatum existit, & exhalationibus expostum est: matutino autem & que ac vespertino tempore pori atque fibrarum interstitia coarctantur, stringuntur, & coëpta illa exhalatio & excretio peripherica iterum supprimitur, unde partes excernendæ de novo ad interiora repelluntur, massæ humorum communicantur, atque natura ipsa per variationem illam motus tonici modo strictoriam, modo relaxatoriam, ad inconstantiam in agendo & movendo quasi per consuetudinem deducitur: quo fit, ut febres in talia tempora incidentes, tanquam in motibus ad secretionem & excretionem materiarum noxiarum tendentibus, consistentes, tanto facilius a legitima via deflectant, atque erroneæ evadant.

§. XVI.

Nec tamen asserti potest, solitarie has febres erraticas autumnales esse, quin potius non modo ratio svadeat, sed experientia confirmet, easdem etiam tempore vernali existere & occurrere: præcipue si tempestas vernalis aliquando cum autumnali magnam affinitatem habeat, & variabilis talis ipsius dispositio occurrat, qualis autumno familiaris esse solet; ut frigus magis prævaleat, Eurusque cum Borea strepat, ut inde non minus corpus nostrum adficiatur, alteretur, matutino tempore constringatur, ascidente autem sole sub meridiem paululum relaxetur, in calefaciat, humoresque mo-

yan-

veantur, ast sub vesperam iterum a frigore succedente strin-
gatur, pori coarctentur, & excretiones confuetæ fūflami-
nentur. Quo respectu rationi non contrariabitur, si affer-
amus, erraticas continuas magis solennes esse tempore vernali
quoniam tunc temporis continuæ & catarrhales cæteroquin
occurrere solent: de intermittentium autem classe erraticas
autumnales magis existere, cum alioquin intermittentes ma-
gis in hæc tempora incidere soleant, & hoc quidem po-
tissimum eo respectu, quo febres erraticæ statim ab initio in-
vasionis, & sponte quasi nascentes deprehenduntur.

§. XVII.

Quod autem illas attinet febres erraticas, quæ ex aliis
legitimis antecedentibus fiunt, & ubi hæ in illas degenerant,
eas non æque ab aëris tempestatis, aut temporum anni muta-
tionibus & alterationibus directe, nedum semper per indire-
ctum deducendas esse putamus, quamvis neque semper ha-
rum mutationum concursum excludamus: & hoc intuitu su-
perius jam indigitavimus, hujus ordinis febres magis sporadi-
cas esse, quam epidemici quid sovare. Interea tamen, licet
aëris mutatio tanquam causa antecedens minorem aut nullum
hic locum habeat, eadem occurrit causa proxima & materia-
lis, quæ in illis spontaneis erraticis adest. Non enim aëris
tempestatisque mutatio directe & sola est, quæ proxime hasce
febres producit, sed ex antecedentibus sufficienter patet, aëris
mutationem secretiones & excretiones partium heterogenear-
um & noxiarum e corpore impedire atque supprimere, ex-
cretionesque impeditas atque suppressas, proximiorem ha-
rum febrium causam constituere. Quapropter eo dirigendus
est animus, ut alia quoque patescant causæ, a quibus febres
periodicas in erraticas, præter aëris dispositionem transire &
degenerare possint. Sunt autem hæ omnes tales res, quæ se-
cretiones heterogenearum & noxiarum partium in corpore
hærentium impediunt, earumque excretionem & eliminati-
onem quovis modo supprimunt. Cum itaque nulla sit fe-
bris, quæ sine omni excretione transeat, si salutariter cé-
dere

dere debeat, facile quisque intelliget, nullatenus obicem esse opnendum illis excretionibus, quæ vel singulæ febrium speciei, vel omnibus febribus in genere competunt atque solennes existunt, nisi quis exinde *αταξια* postmodum, & erraticam illam de qua haec tenus diximus, febrium indolem experiri velit. Est autem universalissima excretio, omnibus febribus ita competens, ut plane nulla febrium sine illa tuto seculoque eventu curari queat, evacuatio diaphoretica, aut ad minimum diapnoica. Hanc sequitur altera paulo minus quidem universalis dicenda, veruntamen rarius in quacunque febris specie penitus deficiens, diuretica, vel per Urinam contingens: quamvis enim in omni febre non pari successu aut gradu hæc excretio succedat, aut semper sub & cum Urina multum impuritatis simul excernatur atque secedat, tamen melius semper in omni febre habetur, si Urinæ crassæ cum sedimento emittantur, quam si e contrario hæc excretio vel in genere impeditius procedat, aut urinæ tenues, aquosæ, nihil sedimenti nullaque coctionis signa præbentes mingantur: ut ita non immerito evacuatio peripherica & diuretica omnium febrium evacuatio dicatur. Ad specialiores certis saltet febrium speciebus convenientes excretiones pertinent 1. illæ per corporis peripheriam contingentes, quæ exanthemata dicuntur, ideoque febribus specialiter abhinc exanthematicis dictis competent. 2. Evacuatio vomitoria, febribus tam a biliosis, quam a viscosis mucidis cruditatibus in ventriculo collectis, oriundis, & hoc respectu tertianis quoque & quotidianis ut plurimum solennis. 3. Diarrhoea itidem proxime citatis febribus, si causa in intestinis magis hæreat, familiaris. 4. Hæmorrhagiae per nares, aut Menses, sive febribus acutis continuis sanguineis ita dictis propriæ, sive individuis ægrotantibus ex ætate, sexus ratione, consuetudine familiares: quorsum non minus pertinet evacuatio hæmorrhoidalis, quatenus in dispositis ac adsveticis aliquando sub quartana specialiter occurrere, eique multum levaminis afferre potest. De omnibus itaque harum evacuationum & excretionum, nostra sententia est,
quod

quod nulla, quatenus & quando febri vel in genere, vel in specie competit, sic supprimenda aut studio impedienda, ne ejusmodi artificiis e periodicis erraticæ nascantur & producantur febres.

§. XVIII.

Inter causas ejusmodi impeditarum excretionum una præcipuarum existit Refrigeratio corporis externa, qua omnes periphericæ excretiones & evacuationes sufflaminantur. Unde videimus febres erraticas evadere, quando ægroti vel propter pauperiem necessariis integumentis carent, ut per totum febrilem paroxysmum extra lectos & sine stragulis decumbere cogantur: aut quando ægrotantes ex officii ratione in itinere constituti, tempestate existente frigida febre corripiuntur, & debito ac necessario regimine destituuntur: aut denique, si febricitantes propter fortunam adversam omnibus hisce ad debitum regimen requisitis adminiculis non destituti sua sponte sub paroxysmis & æstu febrili quasi denudati decumbunt, stragula rejiciunt, aut iectigationibus variis corpus refrigerant, & ita sudoris proventum impediunt: aut circa finem & declinationem paroxysmorum ubi sudor specialiter prorumperet deberet, vel actu jam prorumpere incipit, perfractarie ulteriore decubitus recusant, e lecto surgunt, sudorisque proventui obicem ponunt. Nec tamen sola externa refrigeratio in culpa est, sed idem etiam efficitur ingurgitatione immodesta & immoderata potium actu frigidorum & refrigerantium, quibus ventriculus prægravatur, refrigeratur, & sensus frigoris ac horripilatorius non modo in partibus exterioribus & peripheria corporis inducitur, sed vomitus molesti, cum strictura ad reliqua viscera interna vicina sese disseminante producuntur, unde organa secretionum alterantur, coarctantur, & secretio partium heterogenearum, materiæque peccantis e massa humorum, per Urinam, & sudorem ejiciendarum prohibetur. Pariter quoque negotium secretionis impeditur, per intempestivam ciborum ingestionem versus paroxysmum febrilem, vel sub eodem, quando partim per oblationem

tionem novi subjecti per digestionem & concoctionem resolvendi, motus illi ad secretionem materiæ noxiæ sub febre tendentas distrahuntur, atque natura in negotio suo vitali turbatur, partim, si præcipue talia ingesta crudiora, dyspepta, aut mali succi fuerint, plures novæque de novo materiæ noxiæ in corpus deferuntur, humoribus per chylum & Sanguinem communicantur, quo ipso iterum negotium secretorum & excretionum turbatur, nec non molestissima symptomata sub paroxysmo, cardialgica nempe vomibunda, cum paroxysmi non modo protractione, sed in typo quoque turbatione producuntur.

§. XIX.

Solent non minus tam modo dictæ, quam aliæ excretiones, præfertim alvinæ, impediri & supprimi per Adstringentia. Quamobrem in præsenti ad causas febrium erraticarum non sine prægnante ratione referimus Adstringentia medicamenta, vulgo sub titulo febrifugorum specificorum nota, si in febribus periodicis, neglecta causa materiali primaria, vel materia peccante, ejusque debita & necessaria evacuatione, ad suppressendum paroxysmos febriles, præpostere adhibeantur. Id quod tanto certius evenit in illis febribus intermittentibus, quæ causam biliosam agnoscunt, & aliquando diarrhoeis aut vomitibus incipiunt, quibus vel ægri proprio consilio obviam ire conantur, stomachicis, & adstringentibus, aut externis tonicis ventriculi regioni impositis, vel a Medicis magis ad symptomata urgens, quam ad symptomatis causam respicientibus iisdem medicamentis atque consiliis occurritur: unde deinde sub febre cardialgiæ, torsiones, ardores, vellications, spasimi, imo haud ira raro inflammatoria stases in ventriculo aut Duodeno a materia biliaria ibi retenta atque hærente, cum vagis paroxysmorum motibus oriuntur. Multo magis autem noxii tales effectus adstringentium præposteriorum usum sequuntur, in febribus acutis continuis, ubi potissimum materia peccans, sub motu ac transitu liberiore humorum per viscera illorum depurationi dica-

dicata, sequestrari debet, ut tanto promptius tam per Urinam, quam per periphericas excretiones eliminari possit. Solet, autem, vel potest adminimum ejusmodi error medicationis occurrere, quando in ejusmodi febribus, quando Hæmorrhagia narum, aut Diarrhoeæ metum aliquem medico incutient, unde incidenter in ejusmodi casibus omnem circumspetionem commendamus, maxime omnium circa evacuationes tales critice contingentes observandam: suppressis enim ejusmodi hæmorrhagiis per adstringentia positiva, sive interna, sive externa, haud raro evenit, ut gravissima deliria, præcordiorum anxietates, & typi paroxysmorum præsentissimæ turbationes sequantur.

§. XX.

Quidquid adstringentia ad pervertendum febrium ty-
pum posint, id sane simili jure Opiatis quoque intempestive
adhibitis adscribi debet. Sicut enim illa stringendo partes fi-
brosas nocent, & secretionum excretionumque negotium tur-
bant, ita hæc motus pro eliminatione materiæ peccantis ne-
cessarios sufflaminando, torpores inducendo, sopores intem-
pestivos concitando, secretionibus & excretionibus obicem
ponunt: unde maxima circa illorum usum circumspetio re-
quiritur, ne statim sub omni leviore quoque capit is dolore,
aut præsentibus vigiliis, sine respectu ad reliquum universum
febrile negotium adhibeantur, cum haud raro illorum præ-
postera exhibitionem, loco sperati levaminis dolorum, eo-
rundem exacerbationes, & loco somni quieti, deliria gravis-
sima, (præsertim in temperamentis cholericis & melancho-
licis) & hinc refrigeria, multaque transpirationis præjudicia
ac impedimenta, sequantur, quæ singula postmodum apta na-
ta sunt, ut paroxysmorum quoque mutationem erraticam in-
ferre valeant. Nec excludendus est e causarum numero u-
sus, vel potius abusus Alexipharmacorum, & Diaphoretico-
rum positivorum, nec non Salium Volatilium, si præcipue
cum regime positive diaphoretico sub ipsa paroxysmorum
exacerbatione, vel proxime ante illam propinentur. Nihil

D

enim

enim insoliti est, febres intermittentes veras atque legitimas, in subjectis plethoricis, ab assumptione largioris doseos Essentiae eiusdem Bezoardicæ aut Alexipharmacæ calidioris, vel Piperis cum Spiritu Vini, vel Spiritus Salis armoniaci, vel Sp. C.C. ante paroxismum febrilem, sub juncto regimine positive diaphoretico, in veras continuas, aut vagas atque erraticas, nullum deinde typum servantes, modo ad continuas, modo ad Intermittentium indolem inclinantes transmutari. Ratio cur tales noxas inducant, itidem consistit in impedita secretione & excretione impuritatum e massa humorum. Cum enim æstus febrilis ab usu & assumptione calidiorum talium remediorum exacerbetur, motusque sanguinis tam progressivus, quam intestinus longe auctior reddatur per particulas remediorum sulphureas, resinosas, oleosas, volatiles, majus requiritur spatium intra partes solidas, quod tamen ab ipso sanguinis impulsu vehementiore angustius redditur, per compressionem fibrarum, quo ipso via præcluditur excretioni sudorifice. Unde notissimum est, ægros tales, quaravis sudorifera talia assumserint, regimenque maxime calidum adhibuerint, nihilominus conqueri de sudoris defecu, licet anxietatem sufficientem experti fuerint ; quando dicunt : Sie haben zwar zu schwülen eingekommen, sich auch heftig zu gedeckt, und Angst genug aufgestanden, und doch nicht schwülen können. Quibus respectu Saliū volatiliū adhuc accedit, quod non modo sanguinem commoveant, atque expandant, sed in partes solidas etiam corroborando & leniter stringendo agant, quo ipso pori excretioni dicati coarctantur, motusque in partibus solidis, motui sanguinis & humorum expansorio plane contrarius concitatur, unde non possunt non variæ atque diversæ motuum febrilium turbæ nasci.

§. XXI.

Quemadmodum autem hi dicti motus a centro ad peripheriam auctiores primarium secretionum & excretionum negotium turbare & impedire possunt, ita ex opposito tales evacuatoriae commotiones, quæ alienum plane motum ab exteriori-

terioribus ad interiora invitant & inducunt, idem post se trahere damnum solent: unde observari facile potest, quid s̄epe possint Vomitoria aut Purgantia proxime ante febriles paroxysmos adhibita: cum enim necessitas maxime postulet, ut ægri sub æstu febrili quieti jaceant; quo tanto facilius promtusque peripherica excretio in effectum deducatur, quippe quæ omnibus febribus competit, utilissimaque existit, hæc quies autem ab operatione remediorum vomitoriorum & purgantium, sub paroxysmo contingente impediatur non modo, & varias refrigerationes externi corporis post se trahat, sed etiam motum novum & alienum circa & ad interiora invitat, quo humores introrsum revocantur, haud mirum est, si tales artificiales commotiones contrarias, contrarius quoque quam speratus fuerat eventus sequatur. De Animi pathemib⁹, tam iracundis, quam terrificis cum notissimum sit inter omnes, quantum turbarum in œconomia animali in universum excitare valeant, & quomodo in quibusunque morbis noxia existant, nolumus de illorum concursu atque effectu speciali in mutandis ac alterandis febribus periodicis, & producendis erraticis prolixī esse, satis esse existimantes, indigitum fuisse, hæc etiam aliquando haud ultimum locum inter causas febrium erraticarum habere.

§. XXII.

Antequam ad Prognosin stricto gradu progrediamur, quoad ipsam veritatem historicam de frequentia morborum notamus, spontaneas illas febres erraticas, de quibus diximus, quod principaliter ex aëris conditione mutata ortum capiant, longe rariores esse, in ipsa praxi medica, quam forsitan putatur, nec ipsas semper, & omni autumnali tempore occurrere, ino nequidem existente tali autumni tempestate quæ aptissima ad illarum productionem esset, eas in omnibus febricitantibus, nedum in plurimis observari: illas autem quæ artificia talia præpostera practica, de quibus diximus, causam agnoscunt, omni die, sub quacunque tempestate, quoconque anni tempore occurrere, neque inter morbos autunnales præcise quæren-

rendas esse. His præmissis ratione Prognosieos de Erraticis febribus dicendum est, eas in genere diuturnioris & longioris periodi atque durationis esse : quo magis enim febris quæcunque statua certaque tempora, certumque typum servat, & quo minoribus paucioribusve symptomatibus stipata est, eo promptiore, citiore, facilioreisque promittit in sua specie curam : fundamentum enim felicioris breviorisque curationis maximam partem in legitimo & accommodato remediorum applicationis tempore positum esse Practici optime sciunt; qui didicere, non tumultuariam, sed methodicam & exquisitam medicamentorum exhibitionem ad febres profligandas requiri. Unde videmus, quod ex defectu occasionis, remedia secundum exquisitam methodum applicandi, & sibi invicem subordinandi, omnes hæ febres ultra terminum periodicis febribus alias solennem protrahi, continuas non consuetis illis septenariis absolvi, sed quadantenus chronicarum periodum assumere, intermittentes autem ad plures septimanas, imo menses extendi. Specialior autem Prognosis harum febrium vulgo a Medicis Scriptoribus unanimiter in eo ponitur, quod admodum facile in Quartanam transeant : quod quidem ratione Tertianarum erraticarum, aut etiam Quotidianarum, si in Tertianas jam degeneraverint, facile largimur. De continuis simplicioribus autem, experientia testante, potius constat, illas facilis in Lentas transmutari, aut in simpliciores intermittentes, vel quotidianas, vel tertianas. Quo magis autem de Compositarum febrium classe fuerunt, eo magis etiam ad illam intermittentium febrium typum declinare solent, cui proximæ fuerunt, quam diu continuae manserunt. Specialissime autem, si male atque præpostere tractentur, & forsitan Adstringentibus repetito oppugnentur, omnium facillime hecticas tabidas consumtiones in ficeroribus, oedematosas autem tumidas, hydropicas dispositiones & passiones post se trahunt, aut comites sibi accersunt.

§. XXIII.

Cum haec tenus ea quæ ad theoreticam & historicam erat-

raticarum febrium considerationem spectant exposuerimus, negotii rationem requirere censemus, ut nunc etiam positis jactisque fundamentis necessariis ea suppeditemus & subjungamus, quibus earundem Therapia atque curatio perpetrari ac adornari debet, methodumque subjungamus universaliorum, qua medicus tanquam fundamentali in omnis generis erraticis febribus tuto & secure uti possit. Monstrat nobis hac in re certissime optimam regiamque viam ipse divus Senex, quando lib. de Victus ratione in Morbis acutis sequentem in modum loquitur: *Inconstantes febres sinere oportet, donec constiterint: quum vero constiterint, & vietu, & curatione conveniente occurrere, speculatione secundum naturam facta.* Indigitat explicite paucissimis his verbis Hippocrates, 1. Febres erraticas, quamdiu erraticae sunt, neque posse, neque debeare profligare medicum, i. e. per solam paroxysmorum suppressionem curare. 2. Implicite indicat, in ordinem esse redigendas, antequam illarum cura directe suscipi ac adornari possit. 3. Dixitam conspirare debere cum Medicatione: & 4. Utramque judiciose esse administrandam, & naturae febris praesentis accommodandam. Primum involvit cautelam quam Medicus respectu prognoseos, & therapiæ possibilis aut impossibilis scire cognitamque habere debet, ut monito Hippocratis alio loco proposito satisfaciat, præcipienti: *Duo in arte medica præstanta sunt; juvare, aut saltem non nocere.* Cum vero difficultimum sit, morbum, quem rite perspectum non habet medicus, mederi, aut sine aliqua noxa illi directe occurrere, inculcandum sane est dictum hoc aureum omnibus Medicinam exercentibus, præcipue junioribus, ne ipsius immemores idem experiantur, quod idem Senex circa finem Libr. de Morbis popularibus, inter plures aphoristicas sententias dicit: *Medicus non intellexit; Puella moritur eß.*

§. XXIV.

Reliqua canonis Hippocratici membra inter se conspirant, & unum alterius fundamentum existit, unde coniunctim quoque illis inhærebimus. Cum itaque in ordinem sint

redigendæ febres erraticæ, in memoriam revocamus causas illas, e quibus eas ortum ducere diximus; & cavendum esse supponimus, ab omnibus ejusmodi erratis diæticis & pharmaceuticis, quorum superioris mentionem fecimus, ne in deterruis ruant, eumque in finem commendamus Medico omnem attentionem ad paroxysmos harum febrium obvios, ut neque versus illos, neque sub illis, evacuationes fortiores instituat, motuumque febrilium ordinem quamlibet turbet: nec contra solos paroxysmos specificis antifebrilibus, quovis modo adstringentibus, neglecta materia peccante, ejusque vel correctione, vel excretione agat, & ita potius viscerum infarctus aut obstructiones augeat, aliisque morbis consequentiibus portam aperiat: nec Opiatis aut Narcoticis nimium symptomata, quæ sæpius ex nimia officiositate urgere magis extimantur, quam revera urgent, impugnat, cum sanò sensu sæpiissime ipsius prudentis Medici sit officium, ut paulo negligentius symptomata curet, vel per sublationem causarum tollat: neque ciborum ingestionem sub paroxysmo, aut proxime ante illum concedat, ne motus secretorii invertantur, atque præpostere ad digestionem chylique distributionem impendantur ac invitentur, & tamen utriusque negotio præjudicium damnumque inferatur: ut quoque sibi caveat ab exhibitione positivorum Alexipharmacorum & diaphoreticorum calidiorum, ut & variis tentaminibus evacuatoriis, præcipue vehementioribus, aut ad scopum non facientibus, in paroxysmis, cum nihil fere magis, quam ejusmodi artificia ad ulteriore turbationem conferant.

§. XXV.

Non autem sufficit omittenda omittere, sed expedit etiam præstanda præstare. Et cum fundamenti loco positum sit, Diætam & Medicationem pharmaceuticam conspirare debere, utramque vero judiciose instituendam esse, sequentes regulas praticas in cura Erraticarum observandas commendamus. 1. Diætam in genere præscribat Medicus tenuem & parcam, & recordetur, omnes fere febres maximam partem optime jejuno ex-

expelli: specialiter autem ciborum assūtionem non secundum consveta diei tempora, sed secundum tempus paroxysmorum intercalare concedat, &, quo minus aut brevius illud erit, eo minorem ciborum quantitatē, & iusculorum saltē parce nutrientium qualitatē permittat. 2. Regimen quietum ægro injungat, non modo sub paroxysmorum vi-
gore, sed & sub illorum remissione & declinatione, quo tan-
to facilius ad madorem aut sudorem declinante febre perve-
nire possit: quam quietam continentiam tanto magis patien-
ter observare debet, si actualis sudor perrumpat, ne quovis
modo interrumpatur, aut supprimatur, quoniam alias paro-
xysmus proxime sequens certo certius aut gravior, aut ma-
gis in ordinatus adparebit. 3 Hanc ipsam ob rationem, si Laxan-
tium usus necessarius fuerit, eorum assūtionem quantum possi-
ble ita adornare studeat, ut effectus evacuatorius in tempora in-
tercalaria, aut remissionis paroxysmorum incidat, ne motus ad
peripheriam per sudorem, vel invertatur, vel externa refrige-
ratione reprimatur: id quod tanto accuratius observandum est,
quo magis erraticæ febres de continuarum, aut specialiter de
exanthematicarum genere fuerint. 4. quo brevius tempus in-
tercalare aut remissionis hæ febres formant, eo magis directe absti-
neat ab usu Alexipharmacorum calidiorum, & solitarie per Ab-
sorbentia cum salinis atque Nitrosis mixta, sub paroxysmis
curam prosequatur, iisque paroxysmorum mitigationem &
albreviationem intendat. 5. Alexipharmacæ si ad sudoris pro-
motionem necessaria videantur, semper leniora elegantur, re-
fracta dosi porrigantur, & paroxysmo notabiliter remittente,
adjuncto regimine magis leniter diapnoico, quam positive
diaphoretico, exhibeantur. 6. Quamvis aliquando contin-
gat, ut adhibita hac methodo, non statim sub aliquot Paro-
xysmis in rectum redigantur ordinem erraticæ febres, nihilo-
minus studiose sibi temperet Medicus ab omni titubatione,
methodique rationalis variatione, sed constanter præmon-
stratae semitæ insistat, cursumque coeptum prosequatur:
certo enim pollicemur, quod, si ex ægri & Medici parte re-


gulæ

gulae propositæ debite & sine exceptione observantur , hoc modo certius quam ullo alio febres ad ordinatum typum reversuræ sint . Quo facto deinde facile erit negotium , febres ad typum ordinarium reductas , secundum methodum , rationalem cuique febrium speciei accommodatam , per materiae peccantis alterationem correctoriam , aut eliminationem e- vacuatoriam , motuumque febrilium debitam moderationem , ut neque excessu , neque defectu peccent , eorumque in de- bito ordine conservationem , & tandem per debitam partium solidarum interiorum , sub febre labefactarum , roboratio- nem tonicam , quorsum proprie specifica antifebrilia spe- etant , penitus percurare . Hanc methodum ut ad singulas febrium species adipicemus , ob prolixitatem nimiam metu- endam , præsentis negotii ratio non concedit ; quamobrem fundamenta ipsius indigitasse sufficiat ; sub spe , Numen pro- pitium impostherum data forsan nova occasione , vires inge- niumque largiturum esse , quo illa quoque uberioris in ægri proximi utilitatem proponantur , exponantur . Sit in- terim pro hac tenus ad præsentem laborem beni- gnissime concessa facultate

SUMMO NUMINI GLORIA.



PICA



Z
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

DE

FEBRIBUS ERRATIIS

PROPI

GRATIOSÆ FAC

P

DN.GEORG.D

MED. DOCT. EJUSD
PROFESSOR. PUBL. OI
REGIS IN COM
PALATINOS H

PATRONO AC PROM

PRO GR.

Summisque in Arte Medi

More Ma

Horis Locoque consuetu

Placidæ Er

G E O R

PYR

HALA

Typis GEORGII

